



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 10. Iterum pecunia S. Ignatio, à Deo mittitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



Ioā. Crucius, domesticus obsonator homo simplicissimus, & feruens spiritu ex D. Ioannis Lateranensis templo vesperi domum reuerteretur, ad amphitheatrū, quod vulgo Colosseum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos silentio tradidit. Eius affectu plurimum Ioannes commotus est, & horrore quodam perfusus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis subito euanuit.

§. X.

Iterum pecunia S. Ignatio, à Deo mittitur.

Alias etiam, dum idem Ioannes summo mane obsonatum it, obuiam illi factus est quidam, qui marsupium aureis nummis plenum in manum dedit. Et, quod nondum plane illuxisset, quis esset, agnosci non potuit. Obsonator certe noster Demonem suspicatus, eiusq; timens insidias, in templum D. Mariae supra Minervam, quod proximum erat, se repente coniecit, precatusq; Deum est, ut se dolo, & fraude omni liberaret. Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli suspicabantur, & à Diabolo, ut nobis imponeret, prestigys quibusdam adumbratam. Sed tamen vera, & recens, & aurea fuit: eaq; debita soluta sunt. Eodem penè tempore, in alia nostris difficultate versantibus, dum in  
propa-



propatulo loco, apertam arculam tomento & scrutis vilissimis refertam, P. Ioannes Polancus domi perscrutatur, & scripta quedam diligentius inquirat, recentes nummos aureos fulgentesq; in ea casu reperit, quibus subuentum presenti necessitati est. Nam illud diuina quidem prouidentiae signum, minus tamen mirandum est, in summis rei familiaris angustiis fuisse, qui nostra necessitatis insci, pecuniam ultro offerrent, ve etiam benigne domum deferrent: qua oratione nostram sepe inopiam subleuarent.

## §. XI.

Virginibus, contra inopiam & infamiam,  
succurrit Virgo Virginum.

Per simile, & aliquantò etiam prodigiosius est, quod à Ioanne Iuniore aliisque memoratur, de Nobili quidem, & pia, sed paupercula matrona, quæ, cum non esset, quod alendis geminis filiabus sufficeret, adduxit eas in templum, ad statuam Matris Dei, ibi manus filiarum in manus Mariæ transponens: *Has meas filias, inquebat, quas, ob inopiam, sustentare non possum, tibi, ô Dei parens, in manus trado, iure meo materno omni tibi resignato, ut tu illas pariter in vita, & virginea illibataq; castitate conserues.* Oratione, in hunc modum, peracta, domum regrediuntur. Redeuntibus

Io. Iunia  
or in sca  
la cœli  
Leon.  
Mayr. 21.  
Maj in  
stemma  
te Maria  
no.